satur. At vero voluntas ad amandum non solum requirit cognitionem rei, ut res est, sed etiam cognitionem objecti secundum bonitatem, nam nisi ratio boni non cognoscatur, voluntas non appetit, quod indicio est, voluntatem ferri in rationem boni, tanquam in rationem volitam. Est ergo inter utramque potentiam patens discrimen hac in parte. Et hæc de objecto voluntatis.

4. *Quotnam sint voluntatis actus, de quo late lib.* 3, *de Ang., c.* 1, *a num.* 6. — *Prima eorum partitio. — De subdivisione amoris in amicitiam et concupiscentiam, auctor,* 1, 2, *tract.* 4, *disput.* 1, *sect.* 5. — Circa actus deinde oportet notare eos omnes in voluntate reperiri, qui reperiuntur in appetitu sensitivo, amor, desiderium, spes, etc., licet modo altiori, quoniam in voluntate spirituales sunt, neque dependentes quoad esse a passionibus corporis etiam naturalibus: ac ferri possunt, circa finem et circa media, cum utraque habeant rationem boni, et utraque ab intellectu sub propria ratione suæ bonitatis, medii scilicet atque finis cognoscantur. Hinc jam colligitur prima divisio actuum voluntatis. Nam alii circa finem versantur, alii circa media: quia vero finis potest considerari, vel prout bonum absolute, vel prout habendum, vel ut habitum, ideo circa finem potest esse in voluntate amor, ac desiderium consequendi illum, qui actus alias dicitur intentio finis et tandem fruitio, seu gaudium de fine jam obtento. Medium vero duplex esse potest, aliud quod solum habet rationem medii, quia est primum medium, ad quod nullum aliud ordinatur, nec propter se est appetibile, sed tantum in ordine ad finem. Aliud est medium, quod videlicet mediat inter finem ultime intentum et media priora, ac respectu aliorum est finis, respectu vero ulterioris finis, est medium: si ergo hujusmodi medium consideretur ut finis, habet eamdem rationem, quam finis ultimus, nam intendi potest, et desiderari et delectare si obtineatur. At circa medium, ut medium, duo versantur proprie actus voluntatis: nimirum electio et usus; nam postquam voluntas intendit finem, statim intellectus conciliatur de mediis congruentibus, ac voluntati proponit, circa quæ ipsa duo præstat. Primum est acceptare aliquod illorum, quod est consentire, vel eligere, consentire enim quadam ratione est commune nomen conveniens cuicumque volitioni et amori, sive sit circa finem, sive circa media, quomodo communiter dicimus peccatum consummari per consensum voluntatis: attamen consensus proprie significat applicationem illam voluntatis ad aliquod medium, quæ sequitur ex præmissa consultatione intellectus, quæ acceptatio si sit efficax, et separans unum medium ab aliis, illudque præferens, dicitur electio: facta autem electione necessarium est, ut id medium executioni mandetur, cui deservit usus: qui actus quidam est, quo voluntas applicat potentias omnes ad operationes sibi necessarias: nam medium electum propter executionem certe eligitur. Quare si forte exequendum sit a manu, habet voluntas potestatem ad eam operi applicandam, et similiter de aliis: nam cum voluntas respiciat universale bonum, necesse est apud se habeat vim movendi omnes vires animæ, et applicandi illas ad propria earum munia: hæc ergo applicatio, usus vocatur, atque hi sunt fere omnes actus voluntatis: de quibus plura apud D. Thomam 1, 2, quæst. 11, quæ tamen ab hoc loco sunt aliena, propria vero moralis disciplinæ.

5. *Altera partitio.—Voluntas cur nuncupetur cor.* — Ex his porro colligitur distinctio communis de duplici actu voluntatis, elicito scilicet et imperato. Elicitus est, qui ab ipsa voluntate immediate fit: imperatus est alterius potentiæ humanæ, quæ subditur usui et motioni voluntatis: nam actio partis vegetativæ, et motio cordis continua actus imperati non sunt, utpote quæ sub potestatem nostram per se, ac directe loquendo non cadunt (quod ideo addimus, quoniam remote subdi aliquomodo possunt voluntati: si aut alimentum nobis ipsis subtrahamus, aut forte violentia alia vitam eripiamus). Simile vero est de quibusdam membrorum motibus naturalibus generativæ partis, quæ proveniunt multoties ex alteratione naturali, neque in potestate hominis existunt, teste Aristotele, de Animalium motu, circa finem, et sancto Thoma, ibidem lectione 10, in principio. Jam vero sensuum externorum actus quodammodo sunt imperati a voluntate, quoad applicationem scilicet potentiæ ad objectum: at facta semel applicatione sensus necessario exit in actum, neque ea in re obedit voluntati: sensus deinde interior veluti imaginatio pendet etiam in actu suo a voluntate, quæ potest illum movere ad operandum, sæpe tamen imaginatio ipsa voluntatem prævenit, offertque objecta plurima, voluntate renuente: unde proveniunt importunæ cogitationes: communiter tamen si intellectus et voluntas advertant, illas valent reprimere, quamvis non sine difficultate: sæpissimeque non valent propter

corporis indispositionem, vel certe quia impossibile est intellectum nunquam omnino distrahi, operationes etiam intellectus sunt a voluntate imperatæ, quia exercentur voluntarie, ut experientia constat, quod etiam sanctus Thomas docet, 1 part., quæst. 82, art. 4, cujus rei ratio universalis tacta jam est: quia ad voluntatem spectat finem intendere, atque adeo movere potentias omnes, quæ conducere possunt ad finem, tales vero sunt, quas numeravimus. Atque hoc modo fit reductio potentiarum humanarum ad unum primum movens cæteras omnes, ut recta sit, et ordinata institutio naturæ: qua de causa voluntas comparatur cordi. Ad Roman. 6: *Charitas Dei infusa est in cordibus nostris.* Et in Psalm. 36: *Lex Dei in corde ipsius:* nam sicut cor est principium motivum corporis, ita voluntas est principium operationum humanarum, et ideo illæ tantum operationes censentur proprie hominis, et dignæ præmio, vel pœna, quæ a voluntate procedunt.

6. *Uter actus sit prior simpliciter voluntatis ne, an intellectus.* — Circa intellectum tamen, et voluntatem est difficultas: nam supra diximus appetitum sequi cognitionem, et potentiam cognoscentem movere appetitivam: movet ergo intellectus voluntatem, ergo non potest moveri ab illa. Respondet sanctus Thomas supra, et opusc. 43, c. 5, intellectum movere voluntatem per modum causæ finalis applicando objectum, voluntatem vero intellectum movere effective applicando scilicet illum ad operandum. An autem possit intellectus aliquando effective applicare voluntatem ad opus, quæstio est moralis 1, 2, q. 9, art. 13, ubi de imperio agitur, quæ certe controversia ab illa distat, quam supra tractavimus hoc ipso libro, cap. 3, ubi tantum definivimus ad actum voluntatis, neque intellectum, neque objectum elicitive concurrere. An vero imperative, alia quæstio est, de qua censeo breviter intellectum ex se non posse efficaciter imperare voluntati, nisi forte supposito actu alio ejusdem voluntatis, sic postquam voluntas eligit, valet intellectus efficaciter ei imperare executionem: tota vero illa intellectus efficacitas provenit ex electione voluntatis, a qua si voluntas forte desistat, imperium efficax non erit. Quapropter simpliciter et absolute loquendo intellectus tantum potest movere finaliter voluntatem, voluntas vero intellectum effective. Ex quo colliges inter actus harum potentiarum præire primo oportere actum intellectus, cum appetitus ubique supponat cognitionem, unde quo ad primum actum non movetur a voluntate, sed vel ab inclinatione naturali, vel ab extrinseca aliqua propositione objecti. Unde primus intellectus actus specialiter tribuitur Deo a D. Thoma, 1 p., q. 63, art. 5, fortasse quia Deus speciali providentia gubernat creaturam rationalem, ad illumque proinde pertinet inclinare ipsam ad hoc, vel illud objectum, maxime in principio sui esse, quod desumptum est ex Aristotele 7, Ethic. ad Eudem., capit. penult., scribente dari consilium quoddam naturale ab interiori quodam movente procedens: in negotiis quippe agendis sæpe experimur actus quosdam apud intellectum nostrum, qui a voluntate neutiquam procedunt, sed vel ex peculiari instinctu Spiritus sancti, vel Angelorum ministerio, vel certe ex suggestione dæmonum, quos oportet caute discernere, ut monet S. Joannes, prima canonic., capite quarto, et Bernardus, serm. 1 Pente. Motio ergo voluntatis non est adeo necessaria in his potentiis ad agendum, ut sine illa operari omnino nequeant: sæpe enim aliæ potentiæ in actionibus suis motionem intellectus præcurrunt.

7. *Motio voluntatis respectu aliarum potentiarum qualis.* — Ultimo advertendum est, illam motionem voluntatis a qua dicuntur effective moveri potentiæ reliquæ, non sic intelligendam esse, quasi voluntas aliquid eis imprimat, vel modo aliquo immediate concurrat ad eliciendos ipsarum actus, est nimirum sola moralis motio, quæ in philosophia naturali, efficientia est accidentaria, in morali vero censetur per se, ac provenit solum ex consensione potentiarum, quæ in eadem anima radicantur, et habent inter se dictam subordinationem naturalem.

CAPUT VIII.

UTRUM VOLUNTAS SIT LIBERA POTENTIA IN OMNIBUS SUIS ACTIBUS.

Caput hoc integrum ex autographo præterivimus, quoniam late tractatur in priori tomo de Gratia, Prolegomento 1, et in Metaphysica, dist. 19, a sect. 2, et ultra, tum etiam non pauca pro eodem argumento videri possunt in opusculo 4, de Libertate divinæ voluntatis.

Quæri autem ulterius posset primo, an appetitus rationalis, sive voluntas sit species infima, an potius in homine, atque Angelo specie distinguatur, quod disputant recentiores, 1 part., quæst. 59, art. 1, ubi Cumelius, item

Franciscus de Herrera, in 2, dist. 13, q. 1, et ipse auctor, lib. 3, de Angelis, cap. 1. Secundo quæri posset, an voluntas, seu appetitus rationalis distinguatur in homine in concupiscibilem et irascibilem, sicut appetitus sensitivus distingui a multis solet. De quo videndus auctor, lib. 3, de Angelis, cap. 1, post Scotum et Gabrielem, in 3, dist. 26 et 34, Henricum, quod, lib. 8, quæst. 15.

CAPUT IX.

QUÆNAM SIT PERFCTIOR POTENTIA, INTELLECTUS-NE AN VOLUNTAS.

1. *Argumentum primum pro voluntate.* — *Confirmatur.* — *Secundum argumentum.* — *Confirmatur.* — *Tertium argumentum.* — *Confirmatur.* — *Quartum argumentum.* — *Confirmatur.* — Hæc quæstio ultima est de potentiis animæ rationalis, nam postquam de illis sigillatim dictum est, complementum doctrinæ postulat, ut eas inter se conferamus, id, quod etiam de potentiis sensitivis tractari posset, rejecta tamen in hunc locum est, quoniam in potentiis spiritualibus apertior erit difficultas, ac facile poterit reliquis accommodari. Arguitur itaque voluntatem præeminere intellectui primo, quia habet nobilissimum objectum, ipsam scilicet rationem boni, prima autem et potissima perfectio rei esse videtur bonitas ipsius. Confirmatur: nam bonum dicit ordinem ad existentiam: verum autem, quod est objectum intellectus, ab existentia abstrahit, perfectius autem videtur, quod ordinem habet ad existentiam cum hæc sit prima et potissima rei cujusque perfectio: ergo, etc. Secundo arguitur ex actibus: nam perfectior est actus voluntatis, quam intellectus, si perfectissimum unius actum ad perfectissimum alterius comparemus: ergo et voluntas perfectior erit: illa siquidem potentia perfectior creditur, quæ meliori actu se explicare potest. Antecedens patet: quia perfectissimus actus voluntatis est dilectio Dei, ac perfectissimus intellectus est Dei cognitio, melior autem est amor Dei, quam cognitio, juxta illud Paul. 1, Corint.: *Major autem horum est caritas.* Confirmatur: nam ordines angelorum distinguuntur secundum eorum perfectiones, ac Seraphini superiori gradu, quam Cherubini locantur: quia hi excellunt in cognitione, illi in amore: ergo amor est perfectior. Tertio, libertas est maxima perfectio, voluntas autem est potentia libera, non intellectus: etc. Confirmatur: quoniam voluntas regit intellectum, ad totum hominem, adeo ut reliquæ omnes potentiæ ad nutum voluntatis agantur: ergo ipsa tenet primatum inter potentias. Quarto, voluntas totum hominem bonum, vel malum reddit: neque enim scientia hominem bonum facit, vel malum, sed virtus et vitium: hæc autem ex voluntate maxime pendent, quia libertate propria non dantur. Confirmatur, quia hac ratione appetitus sensitivus est perfectior, quam imaginatio, quia ille capax est virtutis: non autem imaginatio.

2. *Dissidium in hac quæstione.* — *Assertio affirmans intellectum præcellere.* — *Ejus rationes.* — In hac quæstione Schola sancti Thomæ et Scoti discrepant. Scotus enim in 4, distinct. 49, quæst. 4, statuit voluntatem esse simpliciter perfectiorem intellectu, quem discipuli sequuntur. Idem sentit Alensis, 3 part., quæst. 80, memb. 1, dist. 1, quæst. 14, Bonaventura, Ægidius, Argentina, Gabriel et Major, in 4, dist. 49, Albertus, in 1, distinct. 1, quæst. 14, Aureolus, apud Capreolum ibidem, quæst. 1. At D. Thomas, 1 part., quæst. 82, art. 3, e contra opinatur, licet secundum quid, seu in quibusdam actibus voluntas superet: sequuntur eum sui, ac Durandus, in 4, distinct. 94, quæst. 4, Paludanus, quæst. 3, Hervæus, quodl. 8, quæst. 9, Capreolus, in 1, distinct. 1, quæst. 2, et dist. 3, quæst. 3, art. 2, Abulensis, ad cap. 5 Matthæi, quæst. 30, et Venetus 3, de Anima, textu 58, videturque sententia probabilior. Unde sit nostra conclusio. Intellectus est perfectior potentia. Hanc conclusionem declarat sanctus Thomas ex objectis in hunc modum. Nam objectum intellectus simplicius est et abstractius, quam objectum voluntatis, ac modo aliquo immaterialius: ergo ipsa potentia perfectior est: nobilitas namque potentiæ ex nobilitate objecti desumitur, illud autem objectum nobilius est, quod est abstractius et immaterialius. Ostenditur vero antecedens, quoniam intellectus attingit objectum sub abstractione ab existentia, considerando scilicet nudam rei quidditatem, voluntas vero non nisi in rem, prout habet ordinem ad actualem existentiam terminatur: nihil enim appetitur, nisi vel prout actu existit, vel extiturum est. Hanc rationem Scotus cavillatur multipliciter: eam vero prolixe defendit Cajetanus supra, quem videre licet. Vere autem ratio subtilis est optimeque ostendens perfectionem intellectus. Enimvero intellectivæ potentiæ vis ea est, ut rem quamlibet possit sub omni præcisione considerare, essentiam ipsam

ab existentia separando, et uniuscujusque propriam rationem vestigando. Quod sane vim magnam arguit, immaterialitatemque intellectus ipsius, voluntas autem simplici modo fertur in objectum appetendo existentiam illius: qui certe modus operandi minus subtilis est, minusque immaterialis. Secundo arguitur. Potentia intellectiva immediatius sequitur ex animæ essentia, voluntas vero medio intellectu: hic ergo est perfectior. Consequentia exponitur: nam quando passio una ex alia sequitur, seu potius mediante alia, quæ immediatius sequitur ex essentia præstat ei, quæ sequitur mediate, cum sit veluti principium alterius. Antecedens autem suadetur, tum ex communi ratione potentiæ appetitivæ, quæ ex potentia cognoscitiva consequitur, sicut appetitio sequitur ex cognitione: tum ex propria ratione voluntatis, cujus libertas, ut diximus, ex perfectione intellectus nascitur. Tertio. Dignitas hominis potissime ex intellectu desumitur, et ideo tanquam differentiam essentialem illius assignamus, quod intellectivus sit, seu rationalis id vero principaliter habet ab intellectu, cum voluntas rationalis sit ex participatione illius: præcedit ergo intellectus. Id quod etiam inde ostenditur, quoniam voluntatis radix ipse intellectus censetur: siquidem eo ipse, quod asserimus hominem esse rationalem, quasi virtute et radice pronuntiamus volitum esse, ac liberi arbitrii: quare, etc. Unde etiam confirmatur ratio, namque potentia per essentiam rationalis, cujusmodi est intellectus, perfectior est, quam quæ tantum per participationem est rationalis, qualis voluntas, quæ potentia cæca est, nec nisi ratione ducatur, operari valet. Quarto, intellectus est regula omnium operationum voluntatis, et in tantum voluntas male, vel bene procedit, in quantum rationi conformatur: tota siquidem bonitas et malitia moralis sumitur ex ordine ad rationem rectam, et ideo tanto voluntas est melior, quanto est rationi subjectior, teste Aristotele, primo Ethicorum, cap. 3, Cicerone, secundo Officiorum, Augustino, de Libero arbitrio, c. 9 et 10; ergo perfectior est ratio ipsa, quam voluntas. Quinto, in suppositis intelligentibus differentia perfectionis naturalis potissime attenditur ex parte intellectivæ potentiæ: nam voluntas fere ejusdem est rationis in iis suppositis, vel saltem non potest tam facile distingui in eis ex diversitate operandi sicut intellectus: et intra latitudinem angelorum major perfectio maxime relucet in modo cognoscendi, unus enim altiori modo, et per universaliores species cognoscit, quam alter, in voluntatibus autem difficile invenietur distinctio, quæ in modo operandi, ut dixi, parum differunt: signum ergo est perfectionem naturæ intellectualis potissime se explicare in potentia intellectiva, atque adeo esse perfectissimam potentiam in tali subjecto. Sexto, potentia cognoscitiva ex suo genere est perfectior, quam appetitiva: ergo si conferamus perfectissimam potentiam cognoscentem cum appetente perfectissima, illa hanc superabit in perfectione, siquidem ex suo genere excedit, et in specie proportionaliter accrescit, sic autem se habent intellectus et voluntas: ergo, etc. Antecedens primum probatur (reliqua enim nota sunt), namque appetitus quædam inclinatio est appetentis, unde ex vi et modo operationis appetitus non explicat perfectionem suam in tali opere, imo neque ad hoc principaliter ordinatur, sed tantum ad bonum quærendum, at potentia cognoscens de se est vis quædam explicans maxime perfectionem et immaterialitatem rei cognoscendæ: per hanc quippe virtutem res cognoscens fit quodammodo res ipsa cognita, sicque cognitio ex suo genere magis propter se est, quam appetitus: ergo perfectior potentia est ex suo genere.

1. *Ad primum argumentum in num.* 1 — *Ad confirmationem.* — Ad argumentum primum prioris sententiæ negatur antecedens. Nam si objecta intellectus et voluntatis considerentur in ratione rei, sunt fere æqualis perfectionis, quia utraque ex his potentiis universalissima est. Nihilominus absolute consideratis objectis, ut objecta sunt, intellectus objectum altius deprehenditur, cum nobiliori modo attingatur ab intellectu, quam a voluntate bonum, ut diximus. Ad confirmationem respondetur etiam intellectum considerare res, quæ habent ordinem ad existentiam, imo et existentiam ipsam, ac rationem boni, eaque omnia perfectiori quodam modo attingere: ut explicatum est.

4. *Ad secundum communis responsio.* — Ad secundum communis solutio est, intellectum et voluntatem spectari posse in statu viæ, et in statu patriæ: ac priori modo actum voluntatis esse perfectiorem actu intellectus respectu rerum superiorum, sicque charitatem præcellere: cujus rei ratio redditur, quod intellectus attingat res prout sunt intra ipsum, voluntas autem ad eas feratur prout in seipsis existunt. Quoniam vero in via Deus, ac superiora omnia in intellectu nostro existunt imperfecte, atque obscure, ideo cognitio eorum est nunc imperfecta, et amor perfectus ex contraria ratione,